



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis  
Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum  
Spirituale**

**Blois, Louis de  
Monasterii Campidonensis, 1672**

Docum. IV. Patientia & mansuetudo in iniuriis illatis exemplo Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](#)

*Fiat  
oblatio i-  
sta cum  
sancta fi-  
ducia.* ne cum benignitate mentis factâ, jam omnino se veniam affec-  
tum, & verè reconciliatū, ac me-  
ritis virtutibusque Christi orna-  
tum esse confidat. Sienim adhuc  
dubius nimisq; meticulosus ma-  
net, similis est ei, qui exutus ve-  
stimentis vilibus ac folidis, &  
repentē induitus Regijs, non no-  
vit decenter atque compositè pro  
exigentia ipsorum Regalium ve-  
stimentorum incedere, sed pro  
morum rusticitate, cui assuetus  
est, ineptè & inciviliter graditur.  
Indubitanter credat, Dominum  
( qui omnes electos suos affectu  
tenerrimo diligit ) scire, posse, &  
velle sibi humiliato ignoroscere, at-  
que in omni necessitate adesse.  
Piam certanique fiduciā erga  
eum concipiāt, dicens illud ex  
libro Iob: *Eiam si occiderit me, in  
ipso sperabo: & si in profundum  
inferni demersus fuerō, inde me  
liberabit.*

*Quan-  
tum ea fi-  
ducia Deo  
placeat, &  
è Deo  
imperei.* Hæc sancta & secura confiden-  
tia in tantum placet Deo, & tan-  
tam vim piissimo cordi ejus  
infert, ut ipse Dominus non pos-  
sit non adjuvare, non possit non  
ad salutem exaudire eum qui il-  
lā habet. Vnde & in Sacra  
Scriptura ita loquitur: *Ego Do-  
minus Deus tuus apprehendens ma-*  
*num tuam, dicensq; tibi: Ne ri-  
meas, ego adjuvi te. Numquid obli-  
visci potest mulier infantem suum,  
ut non misereatur filio uteri sui? &  
si illa oblitā fuerit, egotamen non ob-  
liviscar tui. Ecce in manibus meis  
descripsi te. Erit tibi anima tua in*

*salutem, quia in me habuisti fidu-  
ciam.*

Ex humilitate & charitate pro-  
cedere debet ista fiducia: nam su-  
perbam, stolidam, & à calto ti-  
more alienam confidentiam Deus  
despicit.

Enchiri-  
dij Par-  
volorū.  
Liber 1.

*3. Vnde  
procedat,  
ut bona  
sit.*

## DOCUMENTVM IV.

*Patientia & mansuetudo in inju-  
riis illatis exemplo Christi.*

**I**njuriam seu contumeliam ti-  
bi illatam si cum lētitia non-  
dum ferre potes, non tamen pro-  
pter illam insipienter perturbe-  
ris, neque irā excandescas; sed  
tranquillus permanere stude:  
nam indigniora pro te Deus tuus  
mansuetissimè toleravit. Ergò  
in talibus ferocientem animi  
impetum religa & reprime:  
Deumque, qui te justè quidem,  
sed tamen ex amore affligi per-  
mittit, magis quam hominem  
qui te affligit, attende.

## APPENDIX.

## Schola Patientie.

1. *Injuria patienter & mansuetè ferenda sunt,  
exemplo Apostolorum, Davidis, & Christi Do-  
mini.*

2. *Sic enim toleratae valent ad meritum, ad  
purgationem, ad pacem.*

3. *Dilemma patientie contra illatas injurias.*

4. *Pax cordis nostri non pendet à judicij &*

*linguis hominum, sed à Deo.*

5. *Impatientia statim in ipso exortu suo est re-  
primenda.*

1.

*Injuria  
patientie  
tolerante*

**I**s cui jam perfectior sui ipsius patientie  
victoria cælitus concessa est, da

quam-